adhuc addidit, se quinque vel sex Papistas velle occidere sicut canes his additis præclaris cor amarum, & invidum sapientibus verbis. *Maeckt dat die Papisten Hoonden uyt de Kerck koomen*; Hæc non sufficiebant; Sacerdote celebrante templum ingrediebantur, altari appropinquabant interrogantes num adhuc Ecclesiam cedere nollent, an Idololatria (sicut isti vocant) nondum finita esset, has & similes blasphemias, & honesti cordis angustias intueri & tolerare præ oculis cogebantur. Desuper fit querela apud Consiliarios Clivenses, & ab his ad Principem Mauritium, verùm susurrones isti noverunt plurima scripta intercipere, vel in alium sensum detorquere, donec tandem Civitas Gochensis à perditis istis, & conjuratis militibus liberata fuerit, sed nondum hujus spectaculi finis.

CAPUT VI.

Injusti illi Proditores quærunt sibi acquirere Reditus Pastorales.

JAm Ceporinus de Cathedrâ Evangelicâ triumpha-verat, & plenis buccis venenum suum effundebat; verùm adhuc desiderabatur quid, quo familiam suam sustentaret, & esurientem ventrem tam suum, quàm suorum nutriret: melior via non apparebat, quàm reditus Pastorales, sive vi, sive fraude occupandi.

Eligitur ergo ad hunc solemnem actum prænobilis quidam, salvâ veniâ, textor peregrinus & vagabundus cognomine Mathias Bernkassel, qui Catholicam fidem simulans pecuniis à Ceporino acceptis se principalibus Catholicorum Civium Conventibus intrudit, auditurus; num etiam quidquam de gerendo bello, de Hispanis, vel Batavis loquantur. Proditores isti acceptâ informatione quisnam cantilenam

istam

istam fabricaverat, majora præmia textori pollicentur, & de facto nummos addunt, ut audiat, an alia negotia inter Catholicos agantur, vel an aliquid à Catholicis practicetur, de quo illi venenum suum jam dudum conceptum extrahere possent. In spem majoris summæ acquirendæ scelestus ille textor conceptum sibi format tam rusticalem, si non scurrilem, ut posteritas dubitare possit, si ex calamo Prædicantis verbi Dei, sicut ipsi pronuntiant, puri & sinceri, tales absurditates effluxerint, & tamen propria manus inventa sub stramine lecti convicit eum.

Ergo conceptum discutiamus: dicebat inprimis textor ille nequam Gubernatorem Gelriæ Wilhelmum de Verdugho Hispaniarum Regis Tribunum hic Gochiæ sub amictu rusticali fuisse, atque in lauto prandio cum cæteris præsentibus civibus contractum quendam tradendæ civitatis in manus Hispanorum iniisse; sed quod adhuc majus est; in hunc finem Eucharistiæ Sacramentum in Gochensis Ecclesiæ Choro Beatissimæ Virgini Mariæ sacro sumpsisse, addito juramento nemini hanc conspirationem revelandi. Hæc non sufficiebant; addiderunt, quòd Catholici quærerent Serenissimum Principem Veneno è medio tollere, & his peractis civitatem Marchioni Spinolæ tradere, & hâc de causâ accusabantur Cives Catholici; accusantur de commercio literarum, & quòd supra memorato Marchioni cum adjuncta supplicâ aliqua munera miserint. Hæc mendacia summoperè hominibus refractariis placebant, mox ab officio removentur quatuor portarum custodes Catholici, & in eorum locum quatuor reformati intruduntur, abrogatur quóque pulsus Campanæ meridianus ab Ecclesiâ ordinatus in memoriam Salvatoris nostri, qui

circa istam horam tam gravem passionem pro nobis miseris redimendis perpessus fuit. Ulteriùs proceditur: interrogant textorem, quinam adfuerint, & quos ipsi nominant, textor pecuniâ seductus, confitetur.

Adducitur inprimis in hoc theatrum Elbertus Voest Civis, & Caupo Gochensis sub suspicione, quòd Gubernator Gelriæ de Verdugho ibimet pernoctasset, cujus parens Consul hujus civitatis fuerat; non sufficiebat unus, ad plures pervenitur, & tali praxi qualem vix honesta anima, & conscientia admittere posset. Quid accidit ulteriùs, fingit desperatæ fortunæ socius Textor eidem habito conventui interfuisse, filium prænominati Elberti Voest, Henricum Voest, Consiliarium Aulicum Regiminis Clivensis. Nec poterat hanc sortem eludere Venerabilis senio Consul Goswinus Exken, sed qualem virum prædictus in omnibus se præstiterit, sequentes paginæ demonstrabunt. Additur Henricus Damiani Supprior in Gaesdonck & Sacramentorum pro Gochensi Communitate Administrator, nec non Dominus Cornelius hujus Ecclesiæ Vicarius in exilium missus & rursum evocatus de novo cedere cogitur. Introducitur quoque in hanc scenam Dominus Licentiatus Abels, cujus pater hujus Civitatis Scabinalem sedem confederat. Annumeratur his præclaris quidam civis Theodorus ab Heucklum, cujus venerandus parens adhuc eo tempore officio Scabini fungebatur. Ab hoc patre nimirum Casparo ab Heucklum qui duxit in uxorem Wendelinam Schrœders, plurima bona ad familias Catholicas pervenerunt, sic ut isti Innocentes Captivi honestas familias suas ab isto tempore potuerint deducere Sigillis & literis præmuniti à ducentis annis, quos tamen tales Hæresiarchæ neonati subvertere

vertere ausi sunt. Adjunguntur prædivites fratres Arnoldus & Leonardus Roeloffs, de quibus primus ædificavit præclaram istam ædem forum respicientem, nunc curiam. Horum Dominorum Fratrum Parentes, quod notatu dignum, in vinculo conjugali perseverârant sexaginta tribus annis & uterque ad senium nonaginta annorum pervenit: accusant insuper Joannem Abels nepotem prænominati, cui uxor erat Bruxellis nata. His copulatur Conradus Keysers postea à Sereniſſimo Neoburgico Principe provisus Judicio communitatis in Scravelen. Necdum pervenimus ad metam, oportebat mendacia falsis criminationibus cumulari. Adducitur ergo Godefridus Francken civis summoperè honestus & latinæ Classis Professor, cui etiam uxor erat de stirpe Abels. Putârunt fortè illi susurrones, quo magis captivi torquerentur, quò citius falsitas ab ipso allegata erumperet, ideò adjungunt quendam expertum Chirurgum Wilhelmum van Dreeck bonæ & antiquæ familiæ Civem, quasi verò in ipsius potestate esset taliter tortos sanare posse. Pervenimus ad alios; Joannes Verlingh antiquæ familiæ Successor, Matthias Mom eandem sortem subierunt. Hisce associatur antiquæ stirpis germen Jacobus Hasenbergh, qui licèt nomen leporis referat, attamen malignos venaticos canes istos effugit. Sic omnibus dispositis proceditur ad actualem harum calumniarum executionem. Ergo de nocte Anno 1615. secundâ Martii ipsis Bacchanalibus domos allegatorum civium invadunt, è lectis rapiunt, & hinc & inde cum duobus militibus & uno officiali disponunt, nonnulli deducuntur in castrum, aliqui in ædem pastoralem, inter quos fuit Dominus Consul Exken, & Theodorus ab Heucklum, & Domini

Roeloffs, cæteri, quod dedecus est hic enarrare in portam Clivensem, ubi fures & latrones hospitari consueverant, deducti fuerunt. Interim mittunt mediam Centuriam in Gaesdonck : verùm videntes Priorem loci istius esse virum decrepitæ ætatis, eidem condonârunt. Ergo omnibus sic constitutis infamis iste Ceporinus epistolam proditoriam concipit, sed talem ut castis auribus vix exhibere audeam ob revelationem secreti fœminei sexûs, sed quia veritas aliud non patitur, sic revelare scelesta illa Consilia cogor. Exemplum igitur benevole Lector fictæ Epistolæ hic habe.

Den 10. Februarii Anno 1615. per Dominum nostrum Jesum Christum victoria.

Weiset guter Freund Burgemeister Exken das es mit den Monatflus eenmael versocht sy, aber is niet geluckt, dan es soll zum Troost der arme Catholycken wyders versocht werden, hoffend Brandenburgh sall daer door wegh genomen vverden den Brandenburgh moess hinvvegh, anders hebben die arme Catholycken keinen Troost. Ich bitte ihr vvollet zusehen, dass es nicht soo seer unter das Volck quäme, man soll das eerst ins Werck stellen, eermen het mit den Svvert versœckt. Ihr seyt von myn Heer Gerrit seer gegrüsset und grüsset mir euvver liebe Hnysvrouvv, Rutgen Abels, und Consorten die met U. L. versieren: by my Heer Gerrit vvas ich vermagh.

Absurdiorem quis unquam epistolam à Prædicante vidit, non invenitur in ea nisi mera scurrilitas, & impudentia. Nonne illum Socium pudere debuisset ut revelaret secreta fœminarum, qui ipse uxorem habebat. Quare per fluxum menstrualem Serenissimus Dux noster occidendus erat; quasi verò male-

volo

volo animo, quem tu Ceporine in pectore gessisti, media alia ad hunc finem assequendum non sufficerent. Probari nobis non potest, quòd unquam innoxium quemquam occiderimus; vos Calvinistæ interfeciſtis Dominam vestram Reginam Scotiæ Mariam Stuartam. Nos fideles sumus Imperatori, Regi & Duci nostro, vos Puritani ut vocari vultis infideles fuistis Serenissimo Regi vestro Carolo primo Angliæ Regi, quem Bliverius Cromvvel & Marscallus Fairfax in publico theatro inaudito exemplo decollari jusserunt, sicut & proba Serenissima Maria Stuarta ex invidia ab Elisabethe concepta capite quamvis valdè infeliciter truncata fuit, pristinam pulchritudinem, & honestam formam usque in extremum retinens, & potiùs capitis amissionem sustinere volens, quàm impiis Elisabethæ consiliis favere. Idem contigit captivis Civibus, quoniam dum viderent causam esse extremæ necessitatis & periculum esse in morâ, tam diu laborârunt, ut hæc res prætextatum ab iisdem finem assequeretur, quod vobis benignis Lectoribus ex sequentibus facilè patebit.

CAPUT VII.

Quâ viâ Proditores isti Epistolam malevolo animo conceptam tradant Lamberto Charles, & Regimini Clivensi.

IGitur hujus Tractatûs socii mox procedunt ad Gubernatorem Castri Gochensis, & fictam epistolam eidem in manus tradunt. Hæc non sufficiebant iisdem confratrum suorum venditoribus, Clivos abeunt, & Lambertum Charles in suas partes trahunt, quibus adjunguntur duo Consiliarii Regiminis Clivensis sub